



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ioan. Petri Maffei, Bergomatis, E Societate Iesv,  
Historiarvm Indicarvm Libri XVI.**

**Maffei, Giovanni Pietro**

**Antverpiae, 1605**

Historiarvm Indicarvm Liber Qvintvs-Decimvs.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11473**

## HISTORIARVM

## INDICARVM

## LIBER QVINTVS-DECIMVS.



ALIS viri necesse ac neophytorum acerba vexatione commotis bonorum omnium animis, haud exigua spes aliunde rerum vtrique latiorum affulsit. Maritimum est oppidum Tanoris, seu ultra Goam circiter octoginta, cis Calecutum ad quindecim. eius oppidi Rex est Brachmanarum ordine ac disciplina, cuiusmodi plerique Malabaricae terrae sunt Reges, in Lusitanum nomen à pueritia valde propensus, cum Cialensis arcis praefecto Ludouico Xiralupo (quam arcem à Nonnio Praetore exstructam in limite Calecutano docuimus) amicitiam ac familiaritatem inierat. Idem Vincentium Franciscanum, Goani Episcopi comitem, & Ioannem Soarium Cialensem antistitem, ventitantes ad se, libenter audiebat. horum praecipue stimulis discusso torpore, baptizatus à Soario, susceptus à Xiralupo & Cosmo Anno Quastore, (qui tum forte, Cocino rediens, Tanore salutandi eius causa descenderat) Ioannis maxime nomen in gratiam Lusitani Regis desumpsit. Paulo post, vxor quoque sacro fonte lustrata, itemque è Cialensis reguli praefectis vnus, & è Caimalibus seu dynastis alter. verum hæc in occulto fiebant, ne quis grauior popularium motus existeret; atque adeò Rex ipse Tanoris, trina fila, Brachmanæ superstitionis insignia, palam è ceruice gestabat: cum tamen idem ipse, Vincentii patris munus, æneam icunculam Christi ad Crucem affixi, abditam foueret in sinu. sub hæc neophytum Regem, adstringendæ cum Lusitanis amicitiae causa, incescit cupido regiam ipsorum urbem vltro adeundi Goam; & familiariter cum Praetore & cum Episcopo colloquendi. id quo tutius faceret, litteras ad vtrumque dat; vetustum sibi hospitium esse cum Lusitano genere: nuper etiã illorum sacra sibi & vxori suscepta. Valde se optare, si per eos liceat, ad maiorem percipiendum eius necessitudinis fructum, dextrasque jungendas, Goam venire. esse praeterea, quæ cum vtroque communicari vehementer expediat. Eiusmodi litteris ad urbem allatis, aduentus illius fama extemplo vulgata nouo gaudio cunctos affecit.



affecit. præclarum atque honorificum sibi ducebant, sub nominis  
 Lusitani tutela præsidioque latere quamplurimos; & Christianam  
 religionem relictis patriis ritibus induisse haud ignobilem in iis  
 locis Regem: atque, ut cupiditati est ferme adjuncta credulitas, vul-  
 go ita differebant: Malabariæ littoris incolas omnes, viri huius ex-  
 emplo atque auctoritate, in Lusitanicam fidem breui esse veruros;  
 simul, affuturo propediem hospiti, quod genus honoris habeatur,  
 exquirunt. super eadem re Prætor ipse consilium aduocat, ei consi-  
 lio interfutere delecti è nobilitate viri triginta: Quæstores regii  
 tres: custos Fræscianorum; & Goanus Episcopus. Ambigebat Præ-  
 tor, utrum aduenientem Tanorium, qui apud suos nondum pro Chri-  
 stiano se gereret, neque Brachmanicas è collo deponeret lineas,  
 Goæ pro Christiano accipi ac tractari oporteret. ea de re cum alia  
 alii rogati censerent; negauit Episcopus, neophyto Regi patrium in  
 præsentia gestamen aut vitio verti aut fraudi esse debere. Iosephum  
 quoque ab Arimathia, quem iustum sacræ testentur litteræ: iteque  
 Nicodemum & Gamalielem, qua fide, qua probitate viros occul-  
 tos Christi discipulos fuisse propter metum Iudæorum. eandem ob  
 causam, ipsosmet Apostolos Christi, ante acceptam spiritus pleni-  
 tudinem, januis clausis dies aliquot in eadem carnatione latuisse.  
 iam verò, diuum Sebastianum, bellatorem illum ducemque fortis-  
 simum, suscepta dudum Christiana religione, tamen Romano mi-  
 litari ornatu, ut nulla re prorsus à cæteris dignosci posset, custodias  
 dissimulante obire, & martyribus animos addere solitum, quoad  
 coram ipso Diocletiano demum aperiendi quis esset, quem co-  
 leret, cui dies noctesque seruiret, præclara sese dedit occasio. Simi-  
 liter huic etiam Regi tam pio, nondum maturis ad Christum pu-  
 blicè profitendum rebus, concedendum aliquid spatii, dum Nai-  
 res ac proceres vitandæ seditionis causa paulatim ab insita super-  
 stitione diuellat. suum esse cuiusque rei tempus. id expectandum  
 utique sapienti. sæpe, quæ patientia ac lenitate sanari negotia pos-  
 sint, peruicacia & festinatione corrumpi. Hæc & in hanc sententiã  
 alia dixit Episcopus, haud dubiè beneuolentia in Regem, & qua-  
 dam naturæ bonitate prouectus: nec satis animaduertens, quan-  
 tum inter habitum nationis & symbola religionis interfit. Vicit  
 tamen auctoritas Pontificis, inque eius sententiam Prætor & reli-  
 qui frequentes iere. Cofestim Ioannes Lupus cum octo biremibus,  
 & idoneo comœatu, missus ad Regem aduehendum; in ipso Ta-  
 noris aditu anchoras jactit, deque suo appulsu facit eum per nun-  
 tios certiozem. ille, sospitem gratulatus accessum, ad profectionem  
 extemplo se cõparat. id ubi cognitum in vrbe, propinqui & primores,



ac præcipue Brachmanæ, circumstant Regem, monent, orant, obsecrant, ne regnum sine causa deserat, ne caput suum peregrina & ignotæ cõmittat genti: ne sese, vetustissimis cõremoniis præditum augustumque, profana & impura contagione contamine. Ea monita preceque ohfirmato ad iter animo cum Ioannes aspernaretur; enimvero illi acrioribus remediis opus esse constituunt: facta conspiratione, custodibusque ad portas adhibitis, Regem in arcem includunt, triplici circumdatam muro. neque tamen idcirco ille de sententia demoueri se est passus. nocte cõcubia, solus, reuincta capillis in ipso vertice, quã dicebamus, effigie Christi, cuius opẽ subinde implorabat; subitariam restem, præligato quod fors obtulerat adunco cerui cornu, retinaculi cauta in pinnas iacit: eoque adminiculo in summum euadit. inde translato in partem alteram vinculo, suspensus manibus ad ima sese demittit. ira, septum vnum atque alterum felici ausu trãsgressus; in tertij descensu, quod altitudinem mœnium restis haud æquaret, ex interuallo dei liens, caput & alterum læsit crus. inde ad stationem Lusitanorũ aggre progressus, in ascensu scaphæ, tumentibus aquis, pãdẽ submergitur. Hisce defunctus periculis, ad nauẽs denique magna omnium gratulatione peruenit. Vix dum in Prætoria erat acceptus, cum eius cognito discessu oppidani ad littus accurrunt: supplices tẽdunt ad illum manus; eadem quæ paulo antẽ cum lacrymis obtestantur, quos ille partim præstanti largitione, partim celeris reditus promissione solatus, familiaribus paucis adsumptis Goã ire perrexit. Propius ad insulã accedẽti præfectus vrbs Franciscus Lima in ipso portus ore cũ splendido comitatu, & fulgentibus vndiq; serico versicolore carutibus ac lembis, obuiã fit. Ad mutuum cõspectum, vtrinque tubẽ tibiẽque ac tympana perstreperunt. Consuetã deinde salutatione accepta redditaque, Rex ad impositam littori suburbanã Antonij Personẽ villã, regio instructã apparatus, deducitur. ibi noctem exegit. Postera luce, Hispaniensi decorus habitu & aureo torque, pari frequentia, nec sine horrifonõ tormentorum fragore ad vrbe classẽ prouehitur. ipsum Prætore in arcis mole præstolantem, paratos item ciues populumque, struẽtã summa ratione pompam offendit. eius pompæ ordo traditur talis: Ad portam, qua intrandum erat, Lima præfectus in argentea lance clauẽ vrbs tenebat, hospiti Regi more maiorum offerendas, adstabant decuriones auratis baculis, holosericam ostrinam attolleutes umbellam, fimbriis è cocco retorto pendentibus. Viã quæ recta vocatur, & præter Sabaias ædes ad templum fert maximum, propè purgatam; aqua conspersam, virentique stratã iunco, parietibus



ex vtraque parte pretioso textili & varia pictura nitentibus; cleri-  
ci & sodalitia sacra, cum infulis & insignibus religionum, lon-  
go agmine infederant. postremus omnium erat Episcopus, maio-  
ris formæ baiulans Crucem. Rex urbem ingressus, cum cætera  
latus gratulatione, tum in primis honore clauium; sub umbel-  
la cunctabundus incescit, adeo conferta occurfantium ac dedu-  
centium multitudine, (cum interim e superioribus locis alii spe-  
starent plurimi) vti a lictoribus, umbellam antecedenti honoris  
causa Prætori, magno labore submoueretur. Vbi ad Episcopum ac-  
cessit Rex, solemnè ab eo precatione lustratus, Crucem venerabun-  
dus amplectitur, pendentis Christi signum exosculatur: dein tem-  
plum intrat, fuscisque ritè precibus, ad pridianum hospitium eques  
eodem studio & comitatu reducitur. exceptus dein à Prætorè quâ  
apparatissimis epulis, arcano colloquio tempus ac locum petit.  
confestim vacua pars facta Prætorij, ad colloquium Episcopus &  
nonnulli Theologi nominatim adsciti, ac præter hosce Lima vr-  
bis Præfectus, & Franciscus Aluarus à secretis, & regij quos dixi  
Quæstores, & Gaspar Nonnius interpres. Coram eo confessu Rex  
omnem sui de religione consiliatationem exposuit. Sibi, po-  
steaquam, singulari Dei beneficio caligine discussa, de tenebrarum  
profundo in lucem sapientiæ ac veritatis emergerit, nihil æquè in  
votis fuisse, aut esse; atque vt populares suos non solum, sed vici-  
nos quoque Reges ac Principes Christo conciliet; cunctisque de  
suo (quod aiunt) lumine lumen accendat. Verùm lenitate opus es-  
se; quæ, nisi tempus ac spatium datum sit, constare non possit; vs-  
que adeo Malabaticam gentem suas amplecti ac fouere, alienis  
horrere atque auersari leges ac cæremonias: adeo auitis erroribus  
ac superstitionibus captâ atque implicatâ teneri. interea sibi Chri-  
stû eiusque præcepta penitus hæere in medullis: eius rei Deum &  
conscientia testes inuocat simul, ad certamina, vbi res rulerit, pro  
Christi nomine subeunda sacrosancto Chrisinate confirmari se  
postulat. Ad ea Prætor & Episcopus, collaudata viri pietate, cû  
experiendi gratia dicerent, satius videri sibi, Regem, ad cæteros per-  
mouendos, Christianum sese fateri palàm; & ope diuina præsidio-  
que magis quàm humana prudentia vel dexteritate confidere;  
multo plus vniuersæ genti exemplo factisq; quàm arte ac simulatio-  
ne & occultis hortationibus profuturum: Rex magna rursus pe-  
ricula, magnos rerum morus obtendere. inter cætera incommoda  
fratrem sibi esse æmulum regni, præpotētis dynastæ vicinis opibus  
& fauore subnixû. haud sine causa vereri se, ne, si noua & peregri-  
na obrudenda religione, populorum animi grauius offendantur,



eorum alienationem ille suam occasionem puter. Lusitanis paululum modò expectare ne graue sit. Si vita superat; domesticas pariter & publicas res ita se Deo adiuvante cõpositurum, vt quæ nunc temporis causa corde tacitus premat, ea postmodum vultu, sermone, rebus denique ipsis tutò possit expromere. Aduersus hæc vitæ tendere neque Prætori neque consiliariis visum. ita re infecta discessit. seorsum dein super sacramento Confirmationis à Prætoris consultus Episcopus, nequaquam negandum enixè petenti respondit; eodemque approbante Prætoris, postridie ipsemet in priuato sacello neophytum, paucis adhibitis testibus ne rumor manaret, solempni ritu ad luctam spiritalem inuixit. ab eo mysterio Rex nouis dein promissis optima spe tum Episcopum tum ceteros omnes impleuit. Decem ferme dies Goa in hospitio substitit. omnes in dies Lusitano populo geniales ac festi fuere. e cunctis adiu sacratum turribus campanum æs quàm citatissimo pulsu dies noctesque perfonuit. Exhibiti ludi, taurotumque venatio; accessere armata saltationes & Indicæ & Ægyptiacæ, mimi, sanniones, & petoriste, quæque alia effuse lætitiæ signa sunt: itemque ad Numidarum consuetudinem edita equestris pugne simulacra; in quibus expeditos equites, vario distinctos ornatu, arundinum iaculis inter se decertare mos est. Inter quæ reuocatus domesticorum epistolis precibusque Rex, proficiscendi veniam petiit. Multum illi à Prætoris bombycinæ vestis, multum gossipinæ famulis in discessu donatum. omni genere honoris & officii cultus, multo quàm ante Lusitanis amicior & obstrictior abiit. Hanc nos rei gestæ seriem cù ex aliis auctoribus minimè spernendis, tum verò ex ipsiusmet Episcopi Goani litteris hausimus, ad Catharinam Lusitaniæ Reginam datus, quibus nuntiis mirum in modum lætus Ioannes Rex, Tanoriti conuersionem, vna cum Antonii Criminalis exitu glorioso, non modò Lusitania tota prædicandam curauit, sed etiam Romæ Pontificatum incunsi Iulio iij. per Alphonsum Alencastrium oratorem suum diligenter exposuit quæ res, ingenti plausu, per eos ipsos dies resurgente Britannia quoque, (perstitisset vtinam) bonorum ac fidelium vbique gaudia cumulauit. Sunt qui totam eam conuersionem, captandæ Lusitanorum gratiæ, in tempus ab Rege barbaro fictam putent, eo maxime argumento, quòd domum reuectus, promissa non præstitit. Mihi, circumspicentis rebus omnibus, verisimilius videtur, metu potius quàm perfidia neophytum à suscepto cõsilio destitisse; præsertim quòd alioquin & ipse cõtractam cum Lusitanis amicitiam egregiè coluit, & successor eius hodie sese præclare in eisdem animatum ostendit. Circa idem tempus, extorres

patria



patria dynasta alij duo, cum ad Lusitanam confugissent opem, te-  
 nera aetate vterque, ad Christum adiuncti, atque a Praetore Socie-  
 tati I E S V in disciplinam dari. Trichinamalo insulae alter, quae  
 Ceilano adiacet; alter Maldiuus, quarum de regione ac natura  
 supra docuimus, imperabat. Ac Trichinamalo quid postea conti-  
 gerit incertum. Maldiuanus, ducta in matrimonium nobili Virgi-  
 ne Lusitana; exsul adhuc, & regno superstes, Cocini extremam a-  
 tatem degit inglorius eius maximus natus filius, Franciscus nomi-  
 ne, praestanti indole & humanitate adolescens, nuper, cum in Lu-  
 sitaniam ad Philippum Regem suis ac patriis de rebus venisset, per  
 noctem ignotus Olisipone, a sicariis, contracta ex occurso rixa, ma-  
 gno honorum dolore peremptus est. Caeterum inter eas quas dixi  
 conuersiones, confecta iam aetate Garzias Praetor anno seculi hu-  
 ius vadequinquagesimo supremum obierat diem, pacatam nactus  
 quidem ille prouinciam, veruntamen de Lusitana re inter ipsam  
 pacem egregie meritus. quippe imminutam variis casibus classem,  
 rostratis celsioribus ad quatuordecim cum cura suppleuerat. Sul-  
 phurei pulueris in vrbe Goa instituerat officinas. Lusitanicae ditio-  
 nis oppida & propugnacula cunctis ad tolerandum bellum rebus  
 instruxerat. inchoatam a Castris Diensis arcis aedificationem ex  
 eius commentariis ac destinatione promouerat: multas ab eodem  
 ob negotia bellica relictas in suspenso lites & controuersias at-  
 tenta & aequabili iurisdictione deciderat. In Garziae locum Geor-  
 gius Capraeus e regio codicillo successus, oppido Bazaino tum praer-  
 rat: vir & bello strenuus, & pietatis laude praecellens. Hoc rerum In-  
 dicarum statu, Brasiliae quoque sylvae ac dumeta paulatim inter-  
 lucari ac subigi cepta. Societati I E S V idem onus impositum; cum  
 id ipsum Franciscani iam ante fratres aliquot, Italici maxime ge-  
 neris, forti magis animo quam prospero euentu tentassent. Nam-  
 que ante partem eius linguae notitiam, vnus ex iis in traiectu flumi-  
 nis ignoti submersus, celebre illi ab se nomen dedit. Fratris flumē  
 exinde appellatum. reliqui, subito coortis in aduenas Brasiliis, in-  
 terempti. Successere igitur e Societate primi omnium sex: Ioannes  
 Azpilcueta Nauarrus, Antonius Pireus, Leonardus Nonnius, Di-  
 dacus Jacobaeus, & Vincentius Rhoterigius Lusitani. Rector iis ad-  
 ditus item Lusitanus, Emmanuel Nobrega, praestanti virtute ac  
 sapientia vir. Thomam sequebantur solam, qui primus omnium  
 Praetor ea littora petiit. Brasiliam attigere ineunte Aprili mense,  
 anno post Christum natum MDXLIX. cum ante duos circiter me-  
 ses Olisipone soluissent. Navigatione sunt vsi admodum lata, ven-  
 tisque adeo secundis atque ferentibus, vti captis illorum adesse



Deum haud obscure appareret. Pauca tū Lusitanici generis erant in iis regionibus, ac vixdum inchoatae coloniae seu praefecturae antiquissima omnium, & ab Aequatore in meridiem prima, Itamaraca dicebatur. alteram Pernambuco, tertiam Illeos, quartam (Capralis quondam appulsu pranobilem) portum securum: extremam a Sancto Vincentio nominauerant. ipsorum verò incolarum, nulli pagi, nulla oppida vrbesve. dispersis (vti supra dictum est) mapalibus habitabant, sedem pabuli ratione mutantes Nomadum in morem: iidemque ab externis alieni commerciis, & infandis epulis adfueti, paucos aduenas & imperitos regionum haud sine causa terrebant. Sosa comitesque ad villam quam vocant Veterem descensione facta, instructo agmine, Christiana religionis insignia praeferentes, puro & aperto loco praecelsa Crucis trophaea gratulabundi constituunt. Ibi mensis ferme vnus fuit mora, dum variis artibus conciliantur animi barbarorum, & idoneus in vicino situs exquiritur nouae vrbi condendae, cui deinde Saluatoris nomen inditum est. Nec vani fuere conatus. & pax cum accolis inita, & spatium aedificationi designatum duobus circiter passuum millibus a Vetere villa. inde Lusitanam multitudinem (aliquot exceptis, quibus priorē sedem mutare non placuit) in exstructionē areae diuiduntur. Patres, facta optione, locum domicilio delegere, vbi Mariae Virginis adiutricis templum hodie cernitur. id templum ab iisdem conditum est ingenti labore: siquidem populo domibus priuatim excitandis, & cingenda raptim vrbe, dies noctesque occupato, aquiri lignarique ipsimet, ac proximis e montibus materiam suis humeris baiulare cogebantur. Accedebat extrema propemodum egestas in ignoto incultoque solo; nulladum in eorum victum aut cultum ab Rege decreta pecunia. excalceati, ac seminudi, aestu & sole torridi, quotidianum obibant opus. nec raro, planè omnibus defecti alimentis, cibaria ostiatim emendicabant euentu vario, quippe cum alii sibi quoque angustam esse domi rem dicerent; alii commoti misericordia, ex eo quod suppetebat liberaliter impertirent. eiusmodi inopia confictatis, ad extremum Praetor modicum quid, eleemosynae nomine, ad tolerandam ex parte vitam adsignat, quo ad reliquis deinde necessitatibus ab Lusitano Rege pro caetera ipsius munificencia ac pietate subuentum est. Inter eas tamen arumnas miseriasque (si vltro suscepta pro Christi nomine incommoda nominibus huius appellare fas est) adiuuandis quantum liceret, Lusitanorum animis, exemplo, verbo, sacramentis instabant. Sed non eo consilio tantum trajecerant pelagi, vti Europaeis inquilinis, Christi notitia dudum imbutis, atque ab infantia ad numerum fidelium adscen-



adscriptis, potissimum operam darent. Indigenarum illi salutem  
 præcipua contemplatione spectabant, in cæcis opinionum tene-  
 bris, & in summa veri numinis ignoratione versantium. itaque, si-  
 mul ac popularis è Lusitania Sacerdos aduenit, qui curionis paro-  
 chive munere fungi posset, concessis illi ædibus tanto sudore con-  
 structis, extra oppidum nouam in sedem loco edito commigrarunt,  
 quem montem Caluarium ipsi dixere, circumfusus undique barba-  
 rorum tuguriis, magno scilicet apertoque discrimine vitæ; sed sa-  
 cra Deo & deuota iam capita nihil pro salute hominum periculi  
 recusabant. Atque hac maximè ratione Prætori ac cæteris, (quos  
 tamen haud omnino relinquebant) satisfactum à patribus. Alia  
 longè erat causa Vincentianæ coloniæ, quos exules ferme, in vlti-  
 mis finibus ab omni Christiano parstore disinctos, atque ob id  
 ipsum cælesti carentes cibo, circumfremetibus barbaris, ipsa pro-  
 pemodum efferauerant loca. Ad hosce igitur omni studio recrean-  
 dos refouendosque Nobrega ex ipsa suorum paucitate duos in præ-  
 sentia destinauit: Leonardum Nonnium, & Didacum Iacobaum,  
 ipse cum reliquis ad Brasiliis indidem circurandos & erudiendos  
 incubuit, erat omnino laboriosa prouincia, & multis difficultati-  
 bus implicata. obstabat inscitia linguæ, quamquam haud ita co-  
 piose nec variaz, tamen ab omni Europæo sermone planè abhorre-  
 ris. obstabant ingenia moresque incolarum: quod super quodidia-  
 nas cædes, ac finitima bella, & inexpiabile vlciscendi certamè, da-  
 pesque diras in crapulam quoque ac Venerem proiecti, magis in  
 dies obtunderent aciem mentis, & flagitiorum cæno quicquid e-  
 rat indolis bonæ demergerent. Accedebat indomitū ac latè patēs  
 malum, & quo valentius nihil aditum atque iter obseperit Euāge-  
 lio; veterum Christianorum, indigna tali nomine ac professione,  
 licentia procacitasque, cum anxia cupiditate sordibusque con-  
 iuncta: vt eorum aduentus in barbarorum vicos, vitæque consue-  
 tudo, cum grauitè cunctos offenderet, rû ingentem nomini Chri-  
 stiano inuidiam infamiãque conflaret. Nec leue afferebat in-  
 commodum ipsa mobilitas gentis, & crebra, vt dicebamus, muta-  
 tio loci, vt sub ipsam interdum messem, fessis agricolis, & diutur-  
 num laborem rædium que spe largi prouentus de more solantibus,  
 adultæ iam segetes repenti apparere desinerent. Postremò de plo-  
 randa erat hîc etiam, in tam vastis terrarum spatiis, tantula ac tam  
 deserta operarum manus. Sed nequaquam idcirco fracti animis  
 vel debilitati sunt patres, haud ignari videlicet, quam exiguo nu-  
 mero Apostoli quantas olim res Deo duce atq; adiutore gessissent.  
 & Christus idem, talium consiliorum parens fautorque, recentibu-  
 his quo-



his quoque famulis ipso potissimum præside fretis, ac nihilominus pro sua parte satagentibus, aderat. Igitur in commodo linguæ obuiam itum initio nonnullorum ope ex iis qui ante Sosæ aduentum ad villam Veterem agebant, ii primùm adhibiti interpretes, vicem sermonis utcunque supplebant. Dein, quo facilius procederet tota res, ac minus ipsi aliunde penderent patres ad Brasiliam linguam addiscendam cuncti pariter animum adiciunt, acriq̃ studio ac pia æmulatione perfectum haud ita magno temporis interuallo, uti essent ad confessions audiendas & habendas conciones idonei. Azpilcueta præsertim in eo genere enituit laus, ut cognitis iam rebus quæ à Xauerio apud Indos fierent, vulgò Lusitani affirmarent, peculiare ac proprium munus decusq̃ Nauarræ gentis ac nominis videri conuersionem ethnicorum. Hoc instructi adiuumento patres, doctrinæ Christianæ capita, certasq̃ preces, ut assolet, Brasiliè vertunt. dehinc vicos & tuguria paulatim obire; modestia, comitate, beneficiis obligare sibi homines omnium ætatum: ac simul de rebus diuinis dicere per se ad populum incipiunt. Mirificos insolita prædicatio motus animorum effecit in rudi tenebrisq̃ inuoluta barbarie; satisq̃ apparebat, cum alia, tum præsertim quæ de omnipotentia & infinitate Dei differebantur, ingenti cum admiratione æquè à viris ac mulieribus accipi. Nostram etiam legendi scribendiq̃ consuetudinem ac peritiam sine sine suspicere videbantur; cupereq̃ sese in cultu ac religione nostris esse simillimos. verùm quominus id ipsa perficerent, inueteratâ morum peruersitate ac feritate retardabantur. eo acrius instare patres, uti eos humaniorem ad ritum ritumq̃ traducerent. Maximus fuit labor in cohibenda fœnesti ac feralis cibi consuetudine, quo Brasilius nullum palato gratius edulium norat. atque ob id ipsum grauiâ non semel adiecit discrimina. Inter cætera illud memoratur facinus in signe: Captum in prælio ex hostibus quendam aecolæ ad Caluarii montis radices attraxerant, ac diu pastum coactumq̃ pinguescere, in epulas ingenti cum exultatione mactarant. Ea re cognita, Christum suppliciter inuocant patres, hortatiq̃ inter se protinus aduolant, in tugurium irrepunt, protensum cadauer in ganeam præparantibus interueniunt, palâ ac fidèter afferunt manus. Ac virorum quidem quies ac silentium fuit; injecto pudore, quòd cum patribus nonnihil iam familiaritatis è vicinitate contraxerant. Non eadem fuit patientia feminarum. vetula adstabant aliquot præcipua crudelitate, & hostis puniendi libidine. hæ sibi nec opinato ereptam è faucibus prædam indignè ferentes, eum clamoribus & quitrationibus concursant.



cursare, iuuenturem ad vlciscendam adeò atrocem injuriam exci-  
te. inde commoti nonnulli auferentibus aliquantulum restitère:  
sed mox vel ipsa repugnante natura, vel etiam diuinitus territi, cæ-  
prum omittunt, ita, corpus ablatum patres in horto suo sepeliunt,  
aliquot cenotaphiis, ad fallendum appositis, si fortè barbari no-  
ctu ad effodiendum atque asportandum accederent. Nec vana fuit  
conjectura. Facta manu per tenebras in hortum irrupère Brasili,  
pertentatisque sepulcris, ac demum inuèto corpore, (tanta sagaci-  
tas fuit) iam extraxerant brachium, cùm excubantes in idipsum pa-  
tres accurrunt, eadèmq; orationis animiq; constantia nefarios  
conatus infringunt: ac, ne sapius certandum foret, ablata denuo  
membra intra urbem ipsam accuratè defodiunt, exasperauit ea res  
vehementius animos gentis, muliebribus præsertim incensæ faci-  
bus, ac parum abfuit, quin agmine facto repentè urbem inuade-  
rent. Patres quidem, iussu Prætoris intra mœnia remigrare coacti  
tantisper dum iræ mitescerent, aliud sibi hospitium condidère, qua  
nunc collegii noui exstruuntur ædes. Idem Prætor, qua erat pietate  
rerumque vsu, iacta in eos crimina & voces vulgi repressit. Ipsorum  
culpa & rerum gerendarum auiditate misceri cuncta, pacem tur-  
bari, ferocissima nationis arma irritari. conquerebantur. At ille  
negabat aduentum belli extimescendum, quod eorum causa con-  
statum foret. Deū quippe vel meliori affuturum causæ, vel sedatis  
tumultibus, è turbido ac tristi, serenum repentè nitidumque diem  
haud dubiè redditurum. Vera cecinit, mitigati præter spem animi  
barbarorum, & magno omnium gaudio redintegrata pax est. len-  
tius inde, cautiùsque patres cum Brasiliis agere: non tam quòd suo  
ipsi parcerent capiti, quam ne sermonem aut offensionem popula-  
ribus darent: monendo, precando, fœditatem rei demonstrando,  
non paucos à nefaria laniena ac popina tandem auulsère. ab aliis  
impetratum, vt ad eos, qui capti saginarentur, saltem sibi pateret  
alloquium. horum ergo, quando seruare corpora non dabatur, ani-  
mis certè omni studio consulebant: Christiana edoctos mysteria,  
atque ad salutarè peccatorū detestationè adductos, priusquã rape-  
rètur ad necè, sacro lustrabant latice, dabātque operam, vt ex ho-  
stium ludibriis ac teterrima seruitute, ad cœlestia regna protinus  
euolarent: sed ne hac quidem ratione miseris diu prospicere licuit.  
Mali dæmonis artificio sibi persuaserant aiebantque barbari,  
ininctis eo baptisinate carnibus, multum de pristina saporis gra-  
tia deperire. ac proinde immutata voluntate, ab illo religionis mu-  
nere nostros arcebant. Itaque attenta consultatione demum eò  
decursum à patribus, vt neci destinatos supremo die ad patibulum  
vsque



vsque prosequerentur, atque interea madenti sudario super aliquam  
 corporis partem furtim expresso, adhibita formula sacramenti, et  
 iamque morituros dissimulanter abluerent, id aliquoties tenta-  
 tum, ex animi sententia cessit. Per idem ferè tempus Lusitanus que-  
 dam incolarum casis oberrans, incertum unde otto jurgio rixare,  
 perimitur. Accendit ea res majorem in modum animos Europæ-  
 rû nulla surgētis etiam tum vr̄bis habita ratione, vindicandâ  
 munit eadem, cōsulendum ipso initio incolumitati aduenarū, nec  
 impunitate ac socordia diutius alēdam gentis audaciam. hec me-  
 nitabūdi & corā Prætorē & inter se jactare, nec dubiè ad arma  
 foret; ni rem Christianā fouēs Deus, barbarorum animos ad acqui-  
 ratē repentē flexisset. amicitia ac vicinitatis jura sanguini pre-  
 lere. deditus piaculum iræ noxius, & inaudito apud eas nationes  
 genere pœnæ, in os bombardæ propalam insertus, applicato ad  
 raculum igne discerpitur. ea res per agros nuntiata, magnum Bra-  
 silis terrorem incussit; simul etiam, vnus Lusitani casus, ceteros  
 præsentia non nihil ab inconsulto ac temerario discursu cohibuit.  
 inde patribus paulo expeditior Euangelii prædicatio cepit esse  
 magnòque ac fidenti animo sese multitudini subinde immiscētis,  
 densam ignorantia nebulam, veritatis luce dispellere, opinionum  
 portenta ac monstra fugare; magorum ac veneficorum (quibus de-  
 risui simul & quæstui captæ mendaciis & errore sunt mentes) pro-  
 stigias atque fallacias aperire ac tollere nitēbantur. In iis præcipue  
 astutia veterator summam sibi auctoritatem vbique peperere,  
 tamquam pro Æsculapio venditabat sese, ad ægrotos omnes illos  
 aduocabatur. Hunc, Nobrega data opera aggressus, rogat; quā-  
 dem vi res tantas efficiat, illumne consulat Deum, qui totam hæc  
 rerum vniuersitatem verbo condiderit, regiamque ac domiciliū  
 habet in cœlo; an tartarei cacodæmonis consuetudine utatur & o-  
 pera. impudentissimè arrogantissimeque respondit, se quoque  
 Deum esse, & Deo prognatum; certum etiam hominē coram pro-  
 duxit, à quo grauius laborante morbum ipse depulisset. illum præ-  
 terea regnatorem cœli Deum, sibi esse amicissimum, ac saepe inter  
 nubes tonitrua ac fulmina ostendere sese: & alia eiusmodi multa  
 superbia vanitatisque plenissima. Hanc Nobrega tantam auda-  
 ciam impietatemque non ferens, aduocata cōcione institit singulis  
 hominis dicta firmissimis argumentis maxima vocis contentione  
 refellere, conuictumque tandem ac fractum ad sententiam simul  
 morēsque mutandos adduxit, amicè comitèrque pollicitus, se pro  
 illo apud verum Deum fore deprecatorē. ac paulo post, eū se  
 se initiandum sponte obtulisset, in catechumenorum adscriptorū



numerum. is numerus pro multitudine reliqua oppidò exiguus erat, agrèque admodum necessaria Christianæ sapientiæ præcepta & dogmata capiebant. post diuturnam institutionem, qui maxime idonei ad baptismum euasere, vitali fonte lustrati, cumque vnicâ vxore; cæteris dimissis, ritè coniuncti sunt. ex iis vnus, lætitiâ gestiens; adit patres: nutu gestuque significans & affirmans, proxima nocte sese apud superos fuisse, incredibili gaudio & suauitate persusû. Cætera plebs à patriis epulis, & ebrietate, & saltationibus impudicis, & multiplici coniugio abstrahi ac diuelli non poterant, neque in iis colendis vllò pacto respondebat operæ fructus. quocirca socii nequaquam vltra serere super spinas, sed puram aggredi tellurem è veterè præcepto constituunt. Infantes primùm quâ plurimos in tutum recipere (si cui foretante vsus rationis obeunda sit dies) & saluari summi Pastoris nota insignire festinant, patres dein matrèsque familias, precibus, promissis, blandimentis adducunt, vt puerilem ætatem ac sobolem sibi in disciplinam dent. hosce postmodum ipsos, cibo & crepundiis paulatim illectos, omni arte mansuefaciunt. nec pœnitendus fuit labor. siquidem & tradita facilè accipiebant, & retenta fideliter grandioribus natu, quotidianæ consuetudinis & linguæ beneficio, per otium inculcabant; & suo ipsi exemplo sensim cæteros à nefariis atque impuris moribus auertebant. Parentes interea (vt est etiam improbis ipsa per se virtus amabilis) filiorum obsequio, sobrietate, cultu, doctrina lætari, còsque vltro ad proficiendum accendere. ac tantus erat Christianæ institutionis amor, vt piis catechismi carminibus, ac beatis vocibus IESV & MARIÆ, littora, campi, luci perstreperèt. Neque ita multis interiectis diebus, Brasiliæ centû maturi baptismò exstiterè. is baptismus quanto maximo licuit apparatu pompaque celebratus est. peractò Paschate, qui præcipuè dies, veterè Ecclesiæ instituto, sacris eiusmodi sunt destinati. cæteros catechumenos ad septingentos, dum amplius erudirentur, in aliud tempus, quamquam ingemiscens & impatientes moræ, differri placuit. Sub eiusmodi rerum initia subitò factum, vt neophyti pænd omnes in morbû alui oculorumve ac varios abscessus inciderent. hæc magi videlicet ad baptismum inuidiosè referre. lauati illa tentari valitudinem; doctrina ac prædicatione pestem ac perniciem populis importari calumniabantur. Sed ipsorum mendacia & improbitatem, Dei beneficio reddita mox Brasiliis firmitas, apertè redarguit. ea recepta, institère cum aliis, monitu patrum, oratoria sacræve ædes publicè exstruere, quò ad conuersiones & catechismû vndique conuenirent. dux duobus locis magno Christiane



rei bono excitata. Agitatum etiam à patribus, (sicque dein tempore procedente perfectum est) uti quod de Theseo iactat Gracia, (patros per tuguria indigenas, in pagos & oppida cogeret, agris colendis adluerent, eorumque coetus legibus ac magistratibus temperarent. Circa idem ferè tempus, quo Prætor in Brasiliam est missus, Conganis quoque Æthiopibus ab Rege Lusitano pari diligentia & caritate subuentum est. Alphonsus iam antè decesserat Rex, cuius de singulari virtute ac pietate initio demonstrauimus. Successor eius, Iacobus nomine, quamquam Christianis initiatus sacris, tamen ab illius viri vestigiis atque itineribus longè deflexerat. Hunc imitati populares, ad patria vitia leui momento ruebant nec multum erat in Europæis vel insistoribus vel etiam sacrorum administris auxilii. quippe tantum aberant à miseris Æthiopibus verbo aut exemplo iuuandis, ut ipsi potius constringendi vinculis maloque ad officium cogendi viderentur. His rebus cognitis Ioannes Tertius, è Conimbrigeni collegio quatuor viros in vineam illam, cæteris eandem sorte ardentè optantibus, impetrauit: Christophorum Riberum, Iacobum Diazium, Didacum Soueraliũ, quem Georgius Vasæus præerat. ii ab Olisipone ad celebrem Sancti Thomæ insulam nauigarunt, ex qua facilis ad littora Congi tractus est. in ea insula febribus aliisque morbis acerbè vexati, ne dum recuperata valetudine Pindam emporium Congani transmittunt. Eorum aduentu audito Rex à leucis quinquaginta è proceribus duos obuam misit. ab iis in regiam ligneis equis de more perducti rudis artificii tale commentum est. Cantherio seu tigro dodrantalis ferme crassitudinis, pedum octo longitudinis, bubulum corium ad sellæ amplitudinem intédunt. huic ephippio diuarcatis cruribus viator insidet, baiuli succollant duo, & vbi longius iter est, succedunt alii. huiusmodi caballis languidos adhuc patres in interiora prouectos, comiter accepit, in Ioannis videlicet gratiam, Rex vna cum liberis & ciuitate ad Crucem extra mœnia positam honoris causa progressus. Tum illis adsignatur hospitium, cuiusmodi Æthiopum adificia sunt, culmo paleisque contextum. Ibi Soueralius publicè ludum aperuit. sexcentos admodum pueros labore maximo & litteris & Christianis præceptionibus imbuebat. Cæteri ad emendandam populi ac procerum vitam omni ope conixi promum, dein ad prædicandum ethnicis Euangelium operam contulerunt, nec sine fructu; quippe intra quintum mensem Riberus mille septingentos Æthiopus probè institutos, ad Christum adiunxit; Diazium quadringentos, Vasæus trecentos: idemque Vasæus cum fido vno duntaxat interprete, viatico prorsus nullo, in proximos pagos egressus.



gressus, duo millia & septingentos baptismo expiauit: ac præter  
 templa olim in vrbe Alphonſi beneficio condita, tria in finibus  
 excitauit dicauitque; Saluatori vnum, MARIÆ Adjutrici alteru,  
 tertium diuo Ioanni Baptiſtæ. ingraueſcēte dein morbo, domum  
 redire coactus: ac reliqui item aduerſa conſictati valetudine, (ſiue  
 id è grauitate cœli, ſiue ex inſolentia deterioris cibi contingeret) à  
 ſpiritibus miniſteris ad neceſſariam corporum curationē haud  
 ſine magno ipſorum dolore traducti. Accēſit ad prædicationem  
 interrumpēdam, Regis quoque alienus à ſtudio religionis animus  
 cū rei Chriſtianæ, quæ ipſius auctōritate ac munificentia in pri-  
 mis egeret, ſegniter admodum ac malignè pro ſua parte conſule-  
 ret: atque inter cætera peſſimi exempli delicta, ab improborum  
 conſuetudine, & a multiplici pellicatu auelli nō poſſet. Haud pau-  
 lo felicior, eadem tempeſtate, fidei proceſſus erat in India, & Ca-  
 pralius Prætor, tuendis ornandisque neophytis, ethnicos ad Chri-  
 ſtum inuitabat. Conſilio, auctōritate, ope, Dei ſeruis & Euangelii  
 præconibus aderat. Præter hæc attollētem ſeſe denuo Zamorinū,  
 exercitu maturè coacto repreſſit. Couletum, Tiracolum, Pananem  
 Calecutanæ ditionis, vi cepit, ſacibusque ſubjectis incendit, agros  
 vaſtauit, palmeta ſuccidit, magnum numerum æque maioris ac  
 minoris formæ nauium ſtammis abſumpſit. ad extremum oræ Ma-  
 labaricæ proceres, Calecutani ſocios ac fœderatos, Cocino mini-  
 tantes, intra Ciebem inſulam deprehenſos obſedit: redactis que  
 iam in arcum rebus, nuntius de Alphonſi Noroniæ ſucceſſoris ad-  
 uentu in caſtra perfertur. E Luſitania profectus, Ceilanum attige-  
 rat. ad eius rei famam dilapſi milites, Noroniæ viſendi cupiditate;  
 & Capralius ipſe ad prouinciam illi tradendam, vix anno Præturæ  
 circumacto, diſceſſit; inde ſoluta præter opinionem obſidio. Inter-  
 tim ex vltioribus Indis valde iniquos inſeſtosque Euangelio  
 ſeſe præbebant reguli Molucenſes. ii cū denuo in Luſitanorum  
 conſpiſſent eadem, patefactis inſidiis oppreſſi, vires omnes atque  
 conſilia ad neophytos ab Chriſti cultu abſterrendos, Caciziorum  
 inſtinctu, verterunt. neque ita difficile fuit, exacerbatos Europæo-  
 rum injuriis, flagitiis atque peccatis offenſos, necdum in veræ fidei  
 ac ſolidæ virtutis amore fundatos, partim ſuadendo, partim inſe-  
 ctando vexandoque conuellere. Ergo, cū alii, tum verò qui Mau-  
 riticas inſulas incolebant, quorum ingens in oppido Tolo erat nu-  
 merus, Xauerii patrumque auctōritatis atque inſtitutionis obli-  
 rupto baptiſmi Sacramento, propalam ab Eccleſia Chriſtòque de-  
 ſciſcūt, ad eam ſacram euertūt, Cruces & ſanctorum ſigna ſuccidūt:  
 Luſitano Rege contempto, Geilolii tyranni imperio ac ditioni



sese subjiciunt. Neque impunè tanta illis impietas cessit: primum  
 ager, totius regionis antea feracissimus, mutata subito natura,  
 squalidus atq; effœtus euasit: conditæ in horrea fruges dira tabe  
 prorsus exesce: dulces aquæ, falsugine atque amatore contracto, no-  
 xia redditæ: fame dein ac pestilentia multi omnium ætatum ordi-  
 numque mortales absumpti, ac reli qui nihilominus in obstinatio-  
 ne persistere. satisque comperto, sibi nouum à Lusitanis imminere  
 bellum, contra omni arte parare sese; aditus alios muris alios val-  
 lo fossaque & operibus objectis obstruere; milites ac tormenta  
 clam ab Geilolio submissa locis idoneis collocare. Inde cum se  
 aduersus omnem externam vim sat superque tutos putarent, ac de-  
 terrimus quisque ferocissimè loqueretur; Lusitani parua, ut solent,  
 manu, magnæ rei molem aggressi, cum auxiliaribus manipulis a-  
 liquot superueniunt: missisque è classe internuntiis, blando ac be-  
 nigno sermone desertores ad sanitatem reuocare conantur. se non  
 armis aut multitudine fretos, aut sanguinis auidos accessisse; ve-  
 rum salutis ipsorum studio adductos, & omnipotentis Dei præ-  
 dio atq; ope subnixos: quem illi si pergant spernere, neque eos ad-  
 missi facinoris pœnitentia capiat; majore in dies mercede senten-  
 ros, quàm graui piaculo daram Christo fidem, & initam cum Lu-  
 sitano Rege amicitiã, ac diuina pariter & humana fœdera viola-  
 rint. Aduersus ea cum inflato ac pertinaci animo respondissent  
 barbari; sat iam ab ignoto & externo mercatore insultatû indigentis  
 non vltra ferendam impotentis dominatus acerbitatem; sibi quoque  
 auxilia, machinasque, ac bellica tormenta suppeterere; denique se  
 Christianos nullo pacto futuros, continuè in amentes efferatosque  
 euidentiôr, quàm vnquam aliàs, vindicta cœlestis apparuit. circa  
 meridiem obscuratus repente sol. densas hinc tenebras cum pau-  
 di ac tremebundi palparent, ecce tibi rursus, vicini montis è verti-  
 ce, cum horrendo mugitu crebrisque tonitribus, qualia majori-  
 bus tormentis eduntur, sordidum ac tetrum erumpit incendium;  
 tantaque cineris pumicumque & ambustorum igne lapidum vis,  
 vti propugnacula & muri coronas æquaret. accessit terrarum mo-  
 tus ingens, quo arbores amissa radicibus & inuersæ, tecta omnia  
 diruta præter vnum templo nuper euerso contiguum, quin, proxi-  
 ma quoque palus, oppleta saxis & improuisa congerie, latè resta-  
 gnans, multos mortales vnâ cum brutis animantibus obruit. ne-  
 que horas paucas, ut antè, sed ipsos tres dies noctesque tartarei  
 camini ardor ac struitia tenuit. Post triduum steterè flamma, & ca-  
 ligo discussa: faciliq; ac plano iam aditu Lusitani procul è nau-  
 bus omnia contemplati, descendunt. ac defensoribus aut exiis  
 sublati,



sublatis, aut metu dilapsis, iterum nullo certamine cuncta peruadunt. Arma dein illata Geilolio. is duodeuiginti iam annos cuiusdam insulæ; septem à Ternate leucas, arce sese tenebat, partim situ manuq; partim etiam æneis munita ballistis, quas ille Christianis interposita hospitii fide captis ac subinde maectatis ademerat. ea Lusitani arce tertium intra mensem Bernardini Sosa consilio ac virtute potiti sunt, ipse tyrannus, cum viuus in potestate venisset, memor flagitiorū ac scelerum, sibi met mortem veneno consciiuit. in eius locū filius ab Sosa cæterisq; suffectus. His cognitis rebus confestim illuc ab Ternate Ioannes Beira transmisit. territos incolas palatōsq; suauis oratione ac familiari vultu contraxit: monitōsq; per eā defectionē quanto quāque nefario sese obstrinxissent crimine: docuit nihilominus, modō facti pœniteret, non esse cur de venia desperarent: quippe nullum excogitari posse delictum, diuinæ bonitati atque clementiæ par. Multiplici malo emollita iam & subacta erat gēris duritia. hoc altius amantissimi patris monita penetrarunt. ergo vbi sat magnō acriq; dolore cōpunctos, & priora consilia cum gemitū detestantes, ac sibi metipfis iratos animaduertit, bono ac fidenti animo iubet esse: tum solemnī ritu per sacram confessionē expiatis, Ecclesiæ sacrosanctę Christōque salutis humanæ parenti restituit. Inde noua rerum omnium facies. pariter hominibus recta mens, laticibus dulcor, telluri fœcūditas reddiit: luctus, mœror, atq; formido, in gratiarum actiones, hymnos, lætitiāq; cōuersa: denique inaudito miraculo, noxii quoq; mures, qui sata per id tēpus in perniciem gentis eroserant; aquæ lustralis adspersione protinus ethnicorū in arua cōpulsū, tanto quidē eorū damno, vti vulgo cum Christianis injuriā expostularēt: mox etiā tantis ac tam variis permoti prodigiis, gregatim ad Beirā baptismi gratia cōfluere. iis, quod pater solus cunctis ministrare non posset, socios à Ternate accersit primū: dein, cum ne ii quidem sufficerent, magistratum rogatu in Indiā ad subsidia petēda profectus est. Interea Gaspar intra insulæ Armuziæ fines exacto ferme triennio, Goam superiorum accitu reuertit, Iaponios inde Sinaſque, si per eodē superiores liceret, tum etiam Scythas, vt ex ea parte immenso circuitu Romam ipsam adiret, vasto & cœlestibus flammis ardenti agitans animo. Verū in digressū ab Armuzianis haudquaquam ei leue negotium fuit. Non enim precibus duntaxat lacrymisve, vti mos est, ne se desereret, summi pariter infimique tendebant; amica parabatur ei vis; positęque locis opportunis insidiæ: quas ille frustratus, celeri lembo ad Lusitanam peruenit classē, capta & direpta Catifa Canarinos ad portus eo ipso



tempore nauigantem. ibi magno militum ac naualis turbæ gaudis in vnam è rostratis acceptus, ad Bazainum applicuit. A Bazaino, Antonii Laurerii Franciscani inuitatu, ad salutandos in vicino Christianos excurrit, ab eodem Antonio per Euangelium genitos. Multa, in eo tractu, priscae artis & magnificentiae monumenta visuntur. in iis Canariini fanum quod appellant, vna cum arduis priuatorum multis, itemque viis & angiportibus, nec non cisteris ad centum, è solido ac viuo lapide ferramentis excisum, aliud item ex vna petra fanum elephantis vocatur, multis in signe simulacris, ac duobus praecipue colossis ingentibus, terna queis capita, totidem pedes manusque eiusdem operis templum aliud incerto titulo Antonius, ritè expiarum, Christo dicauerat, in templum id Gaspar obuio Christianorum agmine, praecinentibus tubis, effusa cum laetitia exceptus, rem diuinam peregit, grauique & efficacia oratione animas ad fidem officiumque neophytis, Tanaham inde, Ciaulumque, postremo Goam cunctis optatissimus appulit. At Xauerius, ex lapone Indiam, ex India tetro Sinarum littora petiturus, primùm Christianos in digressu confirmat. Cosmum Tartarianum, & Ioannem Fernandum, Amangutiano praeficit gregi, ipse in Buagum, quò Lusitanorum appulsam audierat nauem, recta contendit. Rex erat Bungi tum adolescens, & caecis errorum tenebris inuolutus. attamen cognito quanta Xauerii esset virtus, quanta etiam apud Lusitanos auctoritas, ( quorū ille, vt plerique eius tractus dynastæ, cōmercium ac societate expetebat) aduenienti patri sese valde humanum & honorificum praebuit: abeunti, comitem è suis familiaribus cum epistola & donis ad Indiae Praetorem dedit. idem caeteris è Societate, qui in Iapōnem postea missi sunt, eandem humanitatem ac benevolentiam praestitit; proprium in suo regno domicilium adsignauit; aditum ad Regum finitimum familiaritatem gratiamque litteris ac nuntiis muniit: quin etiam, in maximo rerum suarum discrimine, inter grauisimas bellorum ac seditionum procellas, eorum saluti & incolumitati praecipua fide curaque consuluit; ab duodetrigesimo demum post Xauerii profectioem anno, Christiana sacra suscipiens, quæ ad id vsque tempus metu seuerioris disciplinae fuerat auersatus, de tanti patris nomine Franciscū appellari se voluit. nouissimè verò ad Gregorium xiiij. Pont. Max. legatos è regia stirpe, venerationis & obsequii nomine, destinauit: qui Olisiponem, ipsius ferme triennii spatio, perquam ancipiti nauigatione deuecti, & à Philippo Catholico Rege in primis munificè comiterque tractati, bonam Hispaniae & Italiae partem, vt inaudito post omnium seculorum memoriam, ita gratissimo cur-



mo cunctis principibus populisque spectaculi genere peragrarunt. Caterum Xaverius, præter Bungensem, de quo dicebamus, Regis internuntium; ex iplo etiam fidelium numero viros duos egregie cordatos assumpsit, Matthæum & Bernardum, ad urbem usque Romam Iaponicæ indolis exempli causa mittendos, quorum alterum Goæ mors abstulit, alter, quò intenderat, cursu felicior peruenit, & ab Ignatio in Societatem acceptus, quo in vulgus obscurior, eo per otium attetior, exquisitas Ecclesiæ Romanæ caeremonias, religionisque, & sacrorum apparatus est contemplatus; celeberrima sanctæ vrbis templa, insigni cum animi fructu ac pietatis incremento, non semel obiit; patrâ deinde repetens, multa Iaponiis narraturus, in Lusitania letali correptus morbo, Conimbrigæ supremum vitæ actum haud sine plausu perégit. Hisce ergo comitibus a Bungo Xaverius Nouembri mense anni quinquagesimi primi paucis diebus peruenit ad Sinarum insulam Sanctianum, quò commeabât per ea tēpora Lusitani, leucas ab vrbe Cantone triginta. Ibi inter alios opportunè reditum ad Indos parantem Didacum Pereriam offendit, nauarchum experientem, & industriam, & Sinarum utrunque littoribus adfuerum. Cum hoc sua pater de introitu aggrediendo consilia contulit. Aptius nihil vtrique visum, quàm ab Lusitano Rege ad Regem Sinarum, amicitia & societatis ineunda cum litteris ac donis orator. quam rem infelicitè olim quorundam culpa tentatam, mitigatis ipsa die Sinarum animis, modò temeritas abesset ac fraus, multo iam nunc melius cessuram, haud inani coniectura sperabant. in huius porrò noui legati comitatu posse Christi nuntios in ipsa mediterranea dissimulantèr induci, qui vel aliquam linguæ consuetudinem, vel interpretes certè nacti fidos, magno deinde animo, diuino subnixi ope, sementè Euangelii facerent. Cùm ea maximè ratio probaretur, legationè sibi (ni Prætor abnuat) Pereria ipse deposcit: cætera, nempe Xaverius. Hac mente profectos ab Sanctiano, atrox procella è regione Cincei portus inuasit, auulsamque repentè scapham, & in ea duos è nautico ministerio Mahometanos ex omniū oculis abstulit. Furebat ventus; aquarū insani mōtes vndique minabatur exitū; nauæ maioribus demissis antennis, modico tantum velo tempestatis vim subterfugere nitēbantur: memoriā scaphæ propior metus ac terror cunctis excusserat. Xaverio tantum ea insidebat cura. neque id, euadendi consilio si naufragium incideret; sed miserum illud animarum par ab sempiterno inēritu vindicandi, nimirum diuinitus concepta spe, si reciperentur; Christianos aliquando futuros. Hoc ille studio ascensus, quamquam alieno tum tempore,



intentos gubernaculo nauclerum ac praefectum aggreditur. diu re-  
 nitentem vtrunque monitis, obtestatione, auctoritate peruenit, ut  
 ti dolones demitti protinus imperent. agre id exsequuti proreta,  
 mox, cum ne sic quidem è summo speculantibus appareret scapha,  
 pelago saeuente vela rursus expediunt. Tum, inuicto caritatis ar-  
 dore ad proram aduolat pater: iniectis antennæ manibus, haud in-  
 termissa ad Deum prece, paululum adhuc mora per summam con-  
 tentione exturquet: puerum iubet, dispiciendi causa, denuo rudentes  
 ascendere. Cû hæc maximè fierent, ecce subito aduentans praeter  
 omniû opinionem scapha cõspicitur. Protinus clamore sublato cõ-  
 tracti dolones: atque ad eam expectandã, cursumque facilius inhi-  
 bendû, obliqua oneraria contra maris impetum sustitur. appropin-  
 quanti dein eminus iniici funem. Xauerius vetat, affirmans ad ip-  
 sum nauis latus rectã accessurã esse per se: neque aliter factum. per  
 medios fluctus facili admota remigio, tam diu stetit, dum tenacius  
 religaretur ad puppim. lenitû interea pelagus. Mahometani è rã-  
 to periculo sospites, instate Xauerio cæterisq; , ad Christum entõ-  
 plo cõuersi, cûcta prorsus vti prædixerat, euenere. scilicet magni-  
 tudine rei primò defixi omniû animi: noua dein perfusi lætitia, di-  
 uinã clementiã gratulantes agnoscunt: ac prospero demû cursu  
 Malacam deferuntur incolumes, ibi solita celebritate pater acco-  
 ptus, non diu substitit. inspectis tantum & cõfirmatis in opere lo-  
 cii, ex ea vrbe Cocinũ, Cocino Goã deuenit, Februario mēse, anno  
 seculi huius quinquagesimo secundo, quatuor nõ totis mēsis  
 Iapone illuc vsq; cõsumptis. eius aduentus, quo diutius ac longiù  
 abfuerat, eo maiorem vniuersæ ciuitati lætitiã attulit, ipse, a de-  
 scensu, primùm omnium, publica nosocomia & sacra cœnobia ro-  
 ligiosorũ inuisit, dein ad collegiũ dicertit. Ibi Gasparem ac socios  
 perquã suauiter amplexatus, reliquum vnũ esse cognoscit, qui du-  
 dũ in lecto decumberet. is è diuturno ac letali morbo desperatus  
 cæteris, nunquã tamen spem abiecerat ipse, modò Xauerius ante  
 supremũ adesset diẽ; neque mendax fuit fiducia. vti valetudinariũ  
 ingressus pater, iacentem grato sermone ac salutatione, vti sole-  
 bat, impertit, impositisque capiti manibus, consueta in eam rem  
 ex Euangelio effatus est verba, illico leuationem sensit agrotus,  
 mox etiam vires omnino recepit. Obnitente dein amicorum tur-  
 ba, nihilominus in maturandam profectionem intētus, Episcopo  
 Prætorique suas & Pererix cogitationes aperuit. laudabiles vtri-  
 que visæ. & Prætor haud grauati principem legationis Pererix  
 declarauit, eidemque conciliandæ fidei litteras ad Regem Sinarũ,  
 nomine Lusitani Regis, attribuit. Cæteris ornamenti donisque  
 galba



galibus Pereria suomet sumptu magnificè legationem instruxit. Xaverius interea, Indica prouinciæ res, ne quid per ipsius absentiam caperent detrimenti, accuratè ordinabat. Ante omnia Gasparem, Paulo Camerte piis aliis muneribus occupato, quamquam inuitum, & comirandi per asperrima quæque patris cupiditate flagrantem, Goano collegio cæterisque præposuit. Ad Bazaini culturam Melchiorem Nonnium, ad Tanahæ Consaluum Rhoterigium, ad Cocini Franciscum Henricum, in Piscarium litus Aloysium Mendium, (qui deinde propter Christum ibidem à Barbaris iugularis est) ad Sancti Thomæ coloniam, Ioannem Lupium abire iussit. in Lusitaniam verò, atque inde Romam, ad demonstrandum Ioanni primùm Regi tum Ignatio Indica prouinciæ statum, & peteda ab utroque supplementa, Andream Fernadū cum Bernardo Iaponio, uti paulo antè diximus, destinauit. In Iaponensem denique vinea Cosimo Turriano & Ioanni Fernando subsidiarios designauit Balthasarem Gagum, Petrum Alcaceuam, Eduardum Syluium. hosce Malacam vsque secum ducebat. Hisce aliisque rebus, tum è domestica disciplina, tum è publica utilitate cõpositis, inter pias deducendum lacrymas faustasque preces & certantia vora discessit xv. Kal. Maii, tertio circiter mense quàm è Iapone redierat. Periculosa in primis ea quoque nauigatio fuit. secundo prouectus flatu, ad eò subita ac fœda tempestas inualit, uti neque nautarum conatus artesve, neque vasorum onerumque iactura, superandis fluctibus & nauis regenda sufficerent. Inde, cum ex sanguine metu, humescentibus virorum etiam alioqui fortium oculis, relictas alii coniuges liberòsque, alii terrum & informe genus leti miserarentur, ingenti animo pater in medium prodiens, pauorem atque formidinem singulis demere, excitare iacentes, certo vultu ac sermone haud dubiam Dei benignitate salutem omnibus polliceri. Castellum dein onerariæ scandit intrepidus. reliquiariam thecam è collo sibi detrahit: lineaque suspensam, vnus triniq;ue Dei nominibus fideliter inuocatis, mari mergit, ac rursus ad cœlestium pacem exposcendam, sub tabulara succedit. Haud ita in longum extenderat preces: cum è dira procella, turbidòque ac fulminante celo, oprata lux primùm, mox plena tràquillitas rediit. Hinc recreati Lusitani cum se defunctos iam periculis crederent, apertè monuit Dei seruus, haud leuius adhuc superesse discrimen. neque falsa prædixit in breuia syrtésq; paulo post illata carina, cum aliquandiu ipsa inarassent vada, vectoribus pariter ac nautis nouo horrore intimentibus, eodem deprecatore in altum euasit. Malacam deinde peruentum. ex ea vrbe pater Balthasarem Gagum eiusque



confortes in Iaponem sine cunctatione tranſiſit. ipſe cum Pereria ſeſe ad reliquum itineris conſciendum parabat. Bono iam loco videbatur eſſe res, quippe nō modico navigationis emenſo iam ſpatio: & oratore cateriſque ad ſuas cuiuſque partes rite obeundas accenſus: cum repente, vnde minime oportuerat, graui tum Chriſtiana rei damno, tum bonorum dolore diſcuſſa tota legatio eſt. Praefectus eo tempore Malacam obrinebat, haud ſatis æquo in Pereria dignitate in animo, ac proinde colonia inſrequentiam cauſatus, acceptaſque clades, & imminens ab A cenſo bellum nauem legati, legatumve ipſum, e portu excedere veruit. Neque, obfirmata illius mentem, aut amicorum hortamenta, aut Pereria obſtationes, aut Praetoris decretū ac littera, aut Xauerii expoſtulationo, cauſaque bonitas, & Pontificia ipſa cum cœleſtibus diis minique diplomata ſecere valuerunt. denique, quantam in eo negotio diligentiam & alacritate, vel certa cum impenſa periculoſque praſtiterat designatus orator, ta ſe alter hic, nobiliſſimæ legationi actionique inſectum aduerſarium praebuit. Neque verò, in hac etia vita, (ne quis indormire Deum rebus humanis putet) debita meritis vtriuſque ſtipendia deſuere: liquidem Praefectum execrantibus quacunſque incedebat viris feminisque, eleſtantiaca primum inuallit lues: deinde, haud vno crimine, ſed pecularius praſertim ac rapinarum accerſitus, magiſtratu deiectus, carenis onuſtus, in Luſitania Regis iuſſu tranſuectus eſt. ibi cognita cauſa, damnatus, redactus in niſcū bonis; ad hæc, morbo in dies ingraueſcente, quod reliquum vitæ fuit, per ſumnam, & antini agritudinem, & corporis ſœditatem, egens, infamis, ab omnibus contemptus exegit. Contra, Pereria, egregii ſtudii conatuſque non modo præclarum ex optimi cuiuſque commendatione, atque aded ex ipſa cōſcientia fructum, ſed etiam ſplendida & optima poſtmodum a munificentiſſimo Rege præmia retulit. Xauerius autem, quamquam tanto præſidio ac ſpe ſubito deſtitutus; haud tamen idcirco deſpondit animū. neque cōſilium ſaluberrimæ expeditionis abiicit. Solatus Pereriam, atque ad obliuiſcendam iniuriā, & condonandas Chriſto inimicitias adhortatus, itinere capto perrexit ipſe cum vno e Societate Alexio Ferretia, externiſque pueris duobus, quorum alter alienigena Sineſem linguam penitus ignorabat; alter, cui nomen Antonius a Sancta fide genere Sina, in Goano diui Pauli ſeminario a primis educatus annis, perrenuem retinebat patriæ linguæ notitiam. Hoc tantulo comitatu Sanctianum reuectus pater, ante omnia in littore temporariam adiculam ex obuia materia raptim exſtruxit. ibi rem diuinam quotidie facere, & Luſitanos negotiatores omni officio adiuua-



adiunare, ut solebat, instituit. simul, e Sinis, qui ad eam insulam commercii causa ventitabant, peritum interpretem sibi paravit, qui tamen postea, iniectione iudicii poenarumque metu, sefellit fidem. ab alijs, de gentis quotidie moribus, legibus, institutis, diligenter quaerebat, nec non de ratione insinuandi se in eas vrbes hominumque colloquia. quam illi rationem, cum sine euidenti capitis discrimine propter seuerissima interposita edicta iniri negarent posse; tamen Xauerius, ex his quae de Sinarum indole ingenioque subinde audiebat, acriore in dies accendebatur studio, tam docilem, tam positam alioqui nationem e gentili caligine ac tenebris eruendi. ac modo Euangelium afferre miseris quoquomodo liceret, omnes cruciatus ac mortem cum eorum salute non solum aequo, sed etiam libenti pacifcebat animo. Huic patris voluntati studioque maxime Lusitani oblittebant, tum ipsius caritate, quem diligebant omnes ac reuerentur vnice; tum vero nimia quadam sollicitudine, & anxia cura fortunarum suarum; graui scilicet pauore concepto, ne vericos intra fines publica nulla fide subito deprehensus Europaeus aduena sacerdosque, non ipse tantum acerbissimas illico daret poenas, verum etiam denuo in Lusitanum omne nomen, regionum satelliticum furorem atque iras accenderet. atque ob id ipsum crudelitas eorum cum vetera documenta promebant, tum etiam recens in Lusitanos aliquot edita, qui tempestate in litus eiectione, comprehensi confestim ab incolis, teterrimo etiam tum carcere tenerentur, quod si naufragis & eiectionis euenisset, quid tandem illi futurum, qui sese, prudens volensque, nullis cuiusquam opibus vel commendatione fultus, intra illorum praesidia & septa non dubitasset includere? Deinde, ut maxime cuncta experiri libitum foret, quam tandem facultatem habitura esset res? calcaturamne cum comitibus aequora? an, cetum fere millia passuum (quantum interellet spatii) trabe vel tabula traiecturos? nam portitoris quidem & nauicularii nullam omnino fore copiam. Lusitanas, omni appulsiu continentis arceri. Sinis, capitale esse, nequaquam externum iniussu Praefectorum inferre, quod si quis adductus pretio, suam in id operam quamuis occulte detulisset, verendum tamen, ne pernumerata mercede, receptum cum inermi socio puerisque peregrinum, vel in deserta quapiam insula per scelus exponeret, vel breuiore facinoris compendio, ne quid iudicii emanare posset, in altum e nauis proiiceret. Cum haec ad terrorem a Lusitanis haud absurde proponerentur, nunquam tamen Xauerius de sententia potuit demoueri; tantum, quod ad ipsorum incolumitatem ac mercimonia pertineret, omnem illis dempsit timorem; persancte pollicitus, non ante se quod



rende-  
 bat iturum, quam confectis ipsi negotiis ab Sactiano soluit.  
 sent. ceteru a transmissione in id tepus praparranda non destitit, a-  
 liquandiu nullo successu, quippe Sinæ infitotes, ad quos erat ne-  
 cessariò cõfugiendũ, appellati ea de re, vulgò negabãt: ad extremũ  
 tamen pecunia euietus est vnus. huic cũ Xauerio in hac pacta con-  
 uenit: Sina lembũ, occultãda rei gratia excluso omni alio remige,  
 nauta, vectore, suis durtaxat filiis famulisque ad iter in diem certã  
 instrueret, transuectum in suburbia Cantonis pattẽ ad tres qua-  
 tuorve dies clã haberet apud se; tum intẽpesta nocte cum sarcinula  
 & libris ad portã vrbis nemine conscio destitueret; vnde perductus  
 (quod extẽplo videlicet erat futurũ) ad tribunalia, quicquid liberet  
 ibi de religione, aliisve de rebus, periculo suo palã explicaret. Xau-  
 erius vicissim, cuius opera transuectus fuisset, prorsushaberet occul-  
 tum: eidẽque nauti nomine daret piperis, quod ducentorum paulo  
 amplius aureorum efficeret summam. id piper Xauerio Lusitani,  
 quãdo eũ ab incepto reuocare nequuerant, in idipsum pro amicitia  
 fuerant elargiti. ea pactione transacta pater interea omnis tor-  
 menti patientiã assiduẽ meditari: martyrii palmam cum animarũ  
 salute coniunctã dies noctesque sibi proponere: condictum profe-  
 ctioni tempus per summam cupiditatem expectare. Inter hæc ab-  
 euntibus paulatim Lusitanis, aduersa valetudine laborantẽ Feste-  
 riam, ne sibi in tam ancipiti re impedimento foret, in Indiam tem-  
 pestiuẽ remiserat. mox ipse quoque in febrem incidit: qua dies ali-  
 quot acerbẽ vexatus, cum oneratiã in salo iactationem agre ad-  
 modum ferret, in casam inde sese recepit apertam, ventoquẽ ac frigi-  
 gori peruiam, ex iis quas ad extremam littoris oram, Lusitani ab Si-  
 nis adificatione prohibiti, è paleis ac ramalibus momento excita-  
 re, atque in discessu disturbare consueuerant. Ibi quinto ab disces-  
 su die, dum Sinam ex composito portitorem expectat, nauarchis-  
 iam Lusitanis prater vnum cunctis ex eò loco profectis, cum ad re-  
 focillandas vires nihil omnino suppeteret, in summa rerum omniũ  
 egestate, germanus Christi in morte pariter & in vita discipulus,  
 accẽsa diuino amore iacula è psalmis ferme petita, subinde in cœ-  
 lum emittens, IESVM Q. ac MARIAM suauiter inuocans, è corpo-  
 re, ex quo iam pridem eminebat, excessit. iv. Nonas Decẽbris, anno  
 Christi nati (nam de ipsius quidẽm ætate nil traditur) supra sesqui-  
 millesimum quinquagesimo secundo: Indicæ verò suæ peregrina-  
 tionis, vndecimo. Ea de re seriũs moniti Lusitani mœrentes accu-  
 runt: mirantur habitum quiescẽti quã mortuo propiorem; com-  
 positos artus, decoram faciem, ipsa denique pietatem adhuc spirã-  
 tia lineamenta, dein rati id quod erat, indignum ac nefas, tanti sa-  
 cerdotis



cerdotis corpus, tamque de Lusitano vel in primis genere benemeriti, nullo exsequiarum honore, desertis in locis & barbaro solo relinquire, cum ipsis vestimentis in arcam inclusum, viua operiunt calce, quo celerius exesis acrimonia carnibus, nuda secum ossa deportant; ipsam dein arcam deserto & squalido quodam in eius insula colle defodiunt. post dies aliquot confectis negotiis ad sepulcrum vniuersi conueniunt, corpus diligenter inspicunt atrectantque; non modò integrum, solidumque, & aspectu iucundum inueniunt, sed etiã, quo magis obstupere, suauiter admodum fragrans. latri suã de viri sanctitate opinionem comprobari diuinitus, in eadem viua calcis arca reconditum, venerabundi omnes in nauem imponunt. Inde Malacam deuectum, prodeuntibus obuiam cum solempni pompa oppidanis, excipitur, & sua impensa funus procurate Didaco Pereria, qui nondum abierat, in adẽm Beatæ Virginis, vbi collegium est hodie Societatis, defertur. iam tertius a morte agebatur mensis. arcam sacerdotes & amici rursus aperiunt: nihilominus incorruptũ extrahunt mirabũdi, ac Lusitanico more (haud dubio Dei nutu, quo liquidius postea de admirabili integritate constaret) terra ipsi mandant nullo capsæ tobulæve munimine, puluino duntaxat ceruici subiecto, & obiecta sudario facie. quinque ipsos menses cũ in eo tumulo iacisset, è sociis quidam missus ad Xaueriũ inuestigandum ab Goa superuenit, (quem nos deinde Romæ hæc eadẽ ab aliis antè perscripta memorantẽ audiimus) is auiditate ac studio explorandi cernẽdique oculis quæ ferebat fama, sarcophagum detegit; mirum dictu, puluinum ac sudarium purpureo cruore tinctum offendit, dum funeris administri terram superingerunt inculcãntque inter sepeliendum expresso. cæterũ corpus totum planè illæsum, & eadem quæ ferebatur odoris suauitate: quin etiam (quod super omne miraculum fuit) vestimenta ipsa, crepidalque, & extimum lintheum, adẽd recenti specie, vt illo ipso Melchior Nonnius in Iapone deinde, quemadmodum diui Pauli eremitæ palmea quõdam tunica diuus Antonius, ita ad celeberrimas quasque gratulationes & cæremonias vti consueuerit. clara profectò ac testata sancti patris virginitate ac sanctimonia, (quamquam aliis quoque argumentis antè iam nota) quando neque calcis viua caustica vis, neque telluris humor ac situs, defuncti carnes aut amictum vlla ex parte labefactare valuerunt. Quo indignius visum omnibus, vltra in defosso haberi corpus, tanto tamque honorifico Dei munere custoditum. in iis Didacus Pereria, memor amicitie ac meritorum, elegantiore materia formaque arcam aliam damasceno serico subsuendam, aureo textili desuper obtegendã curauit.

in eam



in eam trāslatum corpus idoneo loco ad vsque tempus Indicæ nauigationis est habitum, quo ipso tempore Indiam repetens Cosmi Turriani missu Petrus Alcacena, Malacam ex Iapone delatus, impositum in operariam sacrum thesaurum vnā cum altero de quo dicebam socio asportat, præsens utique nauigantibus ac salutare præsidium; si quidem nauim, diffracto gubernaculo, vadis impactā aliquoties, præsentī illius ope, cuius uehebant exuuias, haud dubiè seruātam fuisse cū alii, tum nauarchus ipse testatus est: idemque actuario Goam celeri cursu præueniens; rem totam patribus nuntiāuit. ex iis quatuor cum totidem à catechesi pueris, biremi regia, tardiùs nauiganti oneraria ad Baticalam occurrunt, arcam denuo referant sextodecimo iam ab obitu mense; æquè incorruptum corpus ac uestimenta, gaudio simul ac stupore attoniti, deprehendūt. Arca iterum claua in biremem eo quæ dixi ornatu deponitur. naua sublatis vndequaque vexillis tormenta festo cum reboatu displodūt. eo die sub uesperam à Baticala ad Goam biremis rediit, arca noctem vnā in ædicula Deiparæ Virginis custoditur, passibus ab vrbe mille quingentis. postridie manè confestim Prætor ac proceres, Canoniorum ac Misericordiæ sodalitia, ingens præterea oppidanorum vis, & diui Pauli collegium omne, corpori extra portas obuiā prōdit. reliqua multitudo ad spectaculum effusa, parietes, fenestras, plateas, ita compleuerat, ut in reditu summoueri vix posset. cum cereis candidati nonaginta præstant pueri, sequebantur clerus, & magistratus, ac nobilium ordines: quacunq; plium incedebat agmen, multa erant passim odoramenta disposita. feretri latus utrunque thuribula ex argento affabre facta cingebant: diui Pauli templum quo inferebatur, cū per eos ipsos dies hebdomadæ sacrosanctæ agerentur solemnia, nihilominus albo peristromate conuestitum: cuncta sobriam ad hilaritatem lætitiæque cōposita. Hoc maximè modo corpus acceptum, & statim in diui Pauli sacello, tectum uti erat, magna cum ueneratione repositum est. ibi quominus tertium aperto iam loculo palam ostenderetur, efflagitantibus pariter summis infimisque, negari non petuit: ueruntamen ad introspicendum obiecti cancelli; ne applicuisse rosaria, impressisse oscula uirginis carnibus, semel iterumque palpasse nō satis habentes; iā super (quod apparebat futurum) in frustra & præsegmina ceterasque reliquias inuolarent. in eo sacello tres amplius dies ac noctes habitum summo ac perpetuo omnium tractum, nationum, ordinumque concursu. neque interea ab vnoquam è superiore loco pater est laudatus, ut assolet. pro laudatore populus fuit. alii quippe reconditam uiri doctrinam & sapientiam,

ac dū



ac dicendi vim copiamque: alii prudentiam, vsumque rerum, & longinquas peregrinationes ac plurimas; alii comitatem ac mansuetudinem, & sine fastu vel arrogantia grauitatem, sine indignitate summisionem, sine fuce pudorem atque modestiam; alii castimoniam insignem, & voluntariam paupertatem, & longa ieiunia vigiliisque; alii subleuatas egentium angustias, orborum educationem ac disciplinam; viduarum ac virginum pudicitiam egregie custoditam, curatos per summam patientiam ac sedulitatem agrotos, dirēptas plurimorum inimicitias; alii verissimas prae-dictiones atque miracula; (multo videlicet plura quam quae nos aliō properantes attingimus) ac partim Christianorum greges à perduto vitæ genere ad meliorem frugem, partim ethnicorum ab Satanæ seruitute ad Christi fidem obsequiumque traductos, horumque tutelam, comōdis, ornamentis omni ratione consultum; alii denique magnitudinem animi in rebus arduis capeffendis, constantiam in promouēdis, & quod super omnia mirandum, ad eō salubri temperamento mistam actione contemplationem; vt cum vtranque coleret propemodum ex æquo, neutra tamen officeret alteri: hæc, inquam, & alia pro suo quisque sensu lacrymantes in cælum efferre. Interea exacto ferme quadratuo, cum satis iam in aperto fuisse videretur, ab sociis arca iuxta maximam arā loco certo reponitur, & claustro munitur. Huic tantæ gratulationi Gaspar adesse non potuit, ad æterna, vt sperandum est, gaudia paucos ante menses euectus. Is Indicæ prouinciæ administratione suscepta, publicè priuatimque multa præclare instituit, quorum hodieque vsus cum vberissimo perseuerat animarum fructu. dumque in domesticam pariter disciplinam & communem Ecclesiarum vtilitatem intentus, affecto iam corpuscule acerbius grauiusque quam ferre posset imperitat; inter concionandi ardorem & contentionem defectus repente viribus, intra pulpitem concidit. collecto dein spiritu domum regressus, acrique correptus febris, mox inter sodalium caros amplexus animam efflauit XV. Kalend. Nouembris, anno seculi huiusce quinquagesimo tertio. elatus est magno ciuitatis luctu, quam sibi suisque vniuersam excellenti caritate officiisque deuinxerat. Sub hæc, ab Iaponiis dynastis litteræ ad Prætorem allatæ. fœdus & amicitiam vltro petebant: ac siue id ex animo, siue gratiæ causa, nuntios Euangelii, & sapientiæ Christianæ magistros. ea re per-motus, vt æquum erat, successor Gasparis Melchior Nonnius Lusitanus, commendata vicariis citeriore prouincia, cum sociis aliquot Iaponem petere intendit. Ingens dudum in iis locis erat perturbatio rerum omnium. Amangutii Regem inter ac populares

atrox



atrox ac periculosum exstiterat bellum, nec nisi Regis & filiorum interitu restincta seditio. in Bungi quoque Regem aliquot principum conjuratio eruperat. ii, commisso demum pralio, victi cæsiq; otii deinde nonnihil ab armis fuit. patres ad prædicationem & consueta munia rediere. ac Deus item signis atque miraculis adjuuabat. agroti debilesque Iustrali vt plurimum aqua sanari: ex infestis diuturna possessione corporibus, Dei verbo fugata dæmonia. hæc & alia minimè deerant Euangelii firmamenta: sed nondum idcirco notabilis fiebat ad rectam fidem accessio. Pauperes ferme & inferiorum ordinum homines colla salutari subdebant iugo. contumax etiam tum & fastidiosa, verumtamen manus olim datura, nobilitas à Christiana humilitate ac mansuetudine egentiumque ac vulgi consortio valde abhorrebat.

LIBRI QVINTI-DECIMI FINIS.

# HISTORIARVM

## I N D I C A R V M

LIBER SEXTVS-DECIMVS.



**I**NTER hosce tam varios dubiosque rei Christianæ successus, repentinum & graue apud Ceisanos quoque bellum exarsit. Columbanus Regi, qui Cottam pariter insignem obtinebat urbem, tres erant sororis filii, ad quos, de more gentis, hæreditas pertinebat. ii, expetiturum ab insita dominandi libidine regnum, senecta auunculi detineri ægre ferentes, facta conjuratione Regem interimunt. inde ita inter se opes & imperium partiuntur, vt i natu maximus, nomine Parea Pandar, jus populis è regali solio diceret; minimus, cui Madunio nomen, (medio paucos intra dies extincto) militaribus copiis cum stipendio ac potestate præset. Ac primò quidè concordibus inter se animis agere visi: mox (vt est omnis dominationis malè fida societas) capitales inter vtrumq; dissensiones exorta. Queri Madunius, non pro dignitate meritisque tractari se, quippe qui præcipuo periculo